

Jakob Carmon

**Programma Pentecostale, Qvo Rector Academiae Rostochiensis Iacobvs
Carmon, Philosoph. Atqve Ivrис Vtrivsqve Doctor ... Spiritvm Illvm, Per Qvem
Devs Pavlo Apostolo Sapientiam In Mysterio Revelavit, 1 Corinth. II. Comm. X. ...
Non Evangelivm, Sed Tertiam Deitatis Personam, Qvae Spiritvs Sanctvs Dicitvr,
Esse, Adversvs Hoc Negantes, Illvd Adfirmantes, Socinianos Svccincte
Comprobat, Civesqve Svos Honoratissimos, Ad Dies Festos Pentecostales ...
hortatvr**

Rostochii: Typ. Ioh. Iacob. Adleri, [1740?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004029675>

Druck Freier  Zugang





T. 512.

1440. Bingsten.

~~A-1256. 288.~~

ff. 1740

PROGRAMMA PENTECOSTALE,

QVO

RECTOR ACADEMIAE ROSTOCHIENSIS

IACOBVS CARMON,

PHILOSOPH. ATQVE IVRIS VTRIVSQUE DOCTOR.
PANDECTARVM PROFESSOR P. O. COLLEGII DVCALIS PROFES-
SORII, NEC NON FACULTATIS IVRIDICAE SENIOR, IUDICII
ECCLESIASTICI, QVOD CONSISTORIVM VOCANT,
CONSILIARIUS ATQVE DIRECTOR,

SPIRITVM ILLVM, PER QVEM DEVS PAVLO
APOSTOLO SAPIENTIAM IN MYSTERIO
REVELAVIT, i Corinth. II. Comm. X.

NON EVANGELIVM, SED TERTIAM DEITATIS PERSONAM, QVAE
SPIRITVS SANCTVS DICITVR, ESSE, ADVERSUS HOC NEGAN-
TES, ILLVD AFFIRMANTES, SOCINIANOS SUCCINCTE
COMPROBAT,

CIVESQVE SVOS HONORATISSIMI

AD

DIES FESTOS

PENTECOSTALES

PIE TRANSIGENDOS EX MVNERIS, QVOD
ADMINISTRAT, RATIONE SEDVLO
HORTATVR.



ROSTOCHII,

Typ. IOH. IACOB. ADLERİ, SEREN. PRINC. ET ACAD. TYPOGR.

M. 1256 258



AETI faustique illi, CIVES HONORA.
TISSIMI, adsum dies, in quibus, ecclesia iuste ita ordinante, insignia illa beneficia, quae gratiae Sancti Spiritus debemus, pie perpendere, atque praesertim solemnam illam omnique aeuo memorandam eius in Apostolos IESV CHRISTI effusionem, quam LVCAS in Actis Apo-

stolorum Cap. II, comm. I. sqq. qua potiores suas circumstantias effetusque descriptam slistit grato recolere debemus animo. Iucundissimum illuxit Pentecostes festum, atque a me, ut vobis eximia illa bona, quae Sancti DEI SPIRITVS nobis confert, vterius scrutandi praebeam occasionem, requirit. Hoc itaque meo facturus fatis officio, non potui non, quum inter praecipua, quae nostri caussa suscepit sanctificator optimus, etiam illud fuerit, quod Apostolos in omnem duxerit veritatem, inter reliquos viros DEI etiam id PAVLLO 1 Corinth. II, comm. 10. confidente, SOCINIANI vero hoc effatum Paullinum mirifice torqueant, quin oraculum hoc sanctum, praesertim, quum, quantum mihi quidem constat, data opera illud haec tenus vindicarit nemo, ab obiectionibus horum hominum, qui, quod nimium sapiunt, insipiunt, liberarem.

ITA vero PAVLLVS loco excitato sua in lingua: Ημιν de ο
Θεος, inquit, απεκαλυψε dia τη τονευματος αυτω. To γαρ πνευ-

μα εγενε, και τα βαδη τα οες; quae LVTHERVIS recte redens ita verit: Uns aber hat es Gott offenbaret durch seinen Geist. Denn der Geist erforschet alle Dinge, auch die Tieffe der Gottheit.

Quae ea sint, quae PAVLVS se ex revelatione DEI accepisse grato celebrat ore, dijudicatu non est difficile. Namque ad euangelicas doctrinas eum respicere, manifestum est ex commatibus praeudentibus v. 7. 8. 9. vbi id, quod DEVVM sibi reuelasse deinde confirmat, vocat sapientiam DEI in mysterio: Iam vero euangelium praedicit magnum illud omnium confessione mysterium; DEVUM manifestatum in carne; 1 TIMOTH III 16. Sed quaestio: quis ille Spiritus sit, per quem DEVS has veritates manifestarit PAVLLO? altiores videtur habere recessus. Namque et vocabulum: *Spiritus*, maxime est ambiguum, & quae ei adiicitur determinatio, quod *Spiritus DEI* sit, ita non est comparata, vt omnem tollat difficultatem, quemadmodum iis satis est apertum, quos sacer codex sua lectione occupatos tenuit vñquam. Vt cunque vero haec se habeant, tamen non possum, quin, ponderatis omniibus sollicitius, Spiritum hunc SPIRITVM SANCTVM, tertiam laco sanctae TRINITATIS personam, esse, libere profitear. Nam *primo* personam, non aliud quid, per hoc οντευπα οες intelligendam esse, euincunt actus illi personales, quos PAVLVS Spiritui huic attribuit. Spiritus enim hic scrutatur omnia v. 10; Spiritus hic intelligit; v. 11. Quae praedicata non valent, nisi de personis, vt disciplina, quam Ontologiam vocant, condocet. Deinde ad personam quandam DEITATIS hic respici, ex eo manifestum est, quia hic Spiritus scrutatur, NB. *omnia, etiam profundates DEI*. Hoc enim si verum esse debet, hic Spiritus debet esse omnisciens, adeoque etiam, quippe quod primum est, quod ex omniscientia consequitur, DEVS. Quum vero tamen hic spiritus adhuc distinguitur ab alio in DEITATE; DEVS enim per hunc Spiritum PAVLLO reuelat doctrinas euangelicas; non potest esse DEVS essentialiter spectatus, sed debet esse DEVS personaliter spectatus, hoc est, est persona DEITATIS. Nec est, quod obuerter, enuntiare Apostolum de hoc spiritu, quod *scrutetur*; *scrutationem* vero inuoluere imperfectiōrem, carentiam nempe distinctae cognitionis, quae per conceptum, quem de DEO ratione et reuelatione duce, habemus, in Deo, adeoque etiam in Spiritu Sancto, tanquam DEITATIS persona, admitti nequeat. Etenim distinguo inter scrutationem in sensu *biblico* & *vul-*

gari acceptam. Est ita, fateor, omne scrutinium, in *sensu vulgari* intellectum, infert, ut quis ignoret quaepiam ante, distinetque non cognoscat; sed si ad *vsum loquendi biblium* respicias, qui et alias saepe efficit, ut fallat regula logica, iusta alias: *definitiones nominales sunt arbitrariae*, res longe aliter se habet. Namque ibi significatio vocis plane inuertitur, atque scrutatio, quod alias non solebat, cognitionem denotat omnium distinctissimam. Conferas, velim, *Ierem. XVII. 9.*
10. Psalm. VII. 10. Rom. IIX. 27. Apocal. II. 23. vt plura iam non subiiciam diuini verbi oracula. Ut adeo ex scrutinio, quod huic spiritui, de quo quaerimus, adsignatur, nihil contra nostram excuspi queat sententiam. Atque aequa facile et altera illa, quae adserri solet exceptio, retunditur reiiciturque. Obtendunt: non sequi, spiritum, de quo PAVLLO sermo est, omnia scrutari; Ergo eum & omnia noscere, siue esse omniscium. Angelorum enim iuxta, qui desiderarunt prospicere in doctrinam de CHRISTO, *I Petr. I. 12.* quam hominum, multa conantum quidem grauioraque interdum, ast vix in leuissimis plerumque finem obtainentum, luculentis constare exemplis, a scrutatione ad cognitionem aetualem duci non posse conclusionem. Ut vt enim hoc iterum concesserim, si vox scrutationis capiatur sensu vulgaris; tamen, quia hoc loco sensu biblico intelligenda est, quod ex comitate vndeclimo adparet, vbi scrutatio cum cognitione permutatur, tantum abest, ut haec obiectio meae quid detrahatur causae, ut potius, quia scrutatio, sensu biblico intellecta, accuratissimam denotat cognitionem, eam egregie confirmet, ac modo non extra omne ponat dubium, hunc spiritum, de quo Apostolo sermo est, esse omniscium, adeoque DEVM, et quidem per antea dicta personaliter spectatum, hoc est, DEITATIS personam. Denique tertio, per hunc spiritum, speciatim SPIRITVM SANCTVM, non vero aut PATREM aut FILIVM, quibus pariter per essentiam spiritus nomen conuenit, *Ioann IV. 24.* id inde in aprico est, quia vocabulum spiritus, quando alium ab alio in distinctione, ut hoc loco fieri debet, distinguere debet, semper denotat tertiam Deitatis personam, SPIRITVM SANCTVM, non PATREM aut FILIVM, ut propter quibus vocabulum spiritus tantum essentialiter, non vero personaliter, competit.

Evidentissime haec tenus, quantum intelligo, CIVES HONORATISSIMI, comprobauit spiritum illum, per quem DEVS PAVLO sapientiam in mysterio reuelauit, esse SPIRITVM SANCTVM:
sed

sed in omnia alia hic discedunt SOCINIANI, atque ne tertiae DEITATIS personae existentiam, quam praeiudicatae opinionis errore abrupti in dubium vocarunt semel, confitendam habeant, longe alium in scenam producunt spiritum, ad quem PAVLLI respiciat oratio. Quod CHRISTVM praedicat euangelium, est Spiritus DEI: per hoc DEVS reuelauit PAVLLO, quae hominibus saeculi ignota erant. Liceat mihi honorem SANCTI SPIRITVS, cui hi sacri sunt dies, quantum per angustos permisum erit cancellos, vindicare, huncque in finem proprius cum viris, qui inter principes scripturae interpretes recenseri cupiunt, congredi. Ne vero in cassum laborem, aut logomachias sectari videar, subiungam prius, quae ad *quaestionem CCCLXVII. in Catechesi Racoviensi*, p. 601. editionis nuperae OEDERIANAE, respondent. Ita vero se habent: *Vt facilius intelligas, quid is sit Spiritus Sanctus, sic habeto: primum, in scripturis noui foederis, Spiritus Sancti voce designari ipsum IESU Christi Euangelium, ut locus i Corinth. II. 10. aperte indicat, si cum loco 2 Tim. I. 10. conferatur. Quod enim in primo loco ait Apostolus, Deum nobis reuelasse per Spiritum suum, idem Apostolus in altero loco, inquit, Christum illuminasse per Euangelium. Id vero est vita eterna & eam consequendi via atque ratio. Vocatur autem Euangelium spiritus, partim, quod in eo contenta ab ipso Deo sunt patefacta, nec illo modo ingenio humano indagari nec investigari potuere: partim, quod hominis spiritum respiciant & nos spirituales reddant, quod lex non habuit.*

Primum haec legens, quod non diffiteor, vix meis fidebam oculis, quum homines, qui se solos rationis semper placita sequi gloriantur, tam misere contra legitimae interpretationis praecepta, idque quidem in libro publico, quo doctrinarum suarum rationes reddere volunt, impingere consiperem. Namque, ut generatim profitear, quid in hac exegesi, si modo fas est hoc adhibere vocabulum, requiram, nullatenus se mihi probat illa interpretandi regula, cui tota innititur. Quodsi enim penitus omnia considero, quo demum artificio Spiritus Sanctus hic commutetur cum euangelio, hoc unum deprehendo, SOCINIANOS vt alibi, ita & hoc loco hunc fundamenti loco exegeticum posuisse canonem: *Ab identitate qualicunque praedicatorum in diversis scripturae dictis, neglectis omnibus reliquis circumstantiis, concludere licet ad identitatem subiectorum. Bella sane regula, quae viro sapienti quidem minime, homini au-*

rem, qui ad commenta quaevis scripturam detorquere auet, conuenit optime! Tametsi enim mihi non sit obscurum, rectissime a philosophiae rationalis doctoribus inculcari, qood talia sint subiecta, qualia a suis permittuntur praedicatis; tamen, cum multa praedicata de plurimis longe diversissimis subiectis valere queant, quem ad modum vocabulum *Spiritus* & de *DEO*, & de *angelis* & de *animabus hominum* iuste enuntiatur, id viros hos, qui artem ratiocinandi callent, hac velle regula, vt ex identitate praedicatorum identitas subiectorum, neglectis omnibus reliquis circumstantiis, inferatur, haec tenus non resciui. Atque vt clarius constet, eximie hunc socinianum fallere canonem, vnico modo rem declarabo exemplo. Eiusdem est dudum, quidquid etiam organiant Anti-Trinitarii, de secunda DEITATIS persona capiendum esse, quod PROVERB. VIII. 22. legimus, confer. eruditas reuerendi OEDERI ad *Catechesin Raciuiensem Stricturas p 171.* sqq. Sed ponamus, nos adhuc latere, quis hic sapientiae nomine indigitetur, quid tum suscipiendum est, quo id resciscamus? Nihil profecto aliud quam hoc: Percurrentus est codex sacer; disquirendum: utrum locum nullum offendere queamus, in quo de subiecto magis noto praedicatum quodam modo simile enuntietur? atque quum talem, si supponas, quae alias sociniani praecipiunt, IOBI. XXXVIII. 7. deprehendamus, omni cum confidentia contendamus, per sapientiam, quae in proverbiis memoratur, angelos denominari; sic omnia iuste se habent. Mira profecto scripturam explicandi ratio, haec tenusque plane inter interpres, qui sensum non in eam inferre, sed ex ea efferre cupiunt, in audita!

Destructo ita principio, cui omnem suam sociniani inaedificauit exegesin, videri poterat, necessarium non esse, vt ad specialiora descenderem; verum quum & in his occurrant quaedam observatione non indigna, tum parallelismus obiectum nihil efficere, tum, quae in textu paulino praesenti adsunt circumstantiae, id est hanc επιλογη penitus prosternere adhuc euincam. Ut de circumstantiis, quae socinianis contradicunt, dicendi initium faciam, tres illae sunt, eaeque plane vinci nesciae. Nam primo PAVLLVS diserte hunc spiritum DEI, qui Euangeliū esse debet, deinde uersu XIII. πνευμα αγιον vocat. Etsi iam me non est clam, verbum DEI & euangeliū, quo eius indicetur efficacia, in sanctiōti codice

ce spiritus nomine celebrari; vid. IOANN. VI. 63. 1 IOANN.
V. 6. sanctum tamen Spiritum illud vñquam adpellatum esse, nullo
idoneo, comprobabitur exemplo. Quin potius constans atque non
fallax interpretum est obseruatio, toties in scriptura vocem spiritus
denotare tertiam DEITATIS personam, quoties adiectam habet vo-
cem *ayiov.* Praeclare b. Confessores nostri in *Catechismo Maiori*
artic. III. p 496. editionis Reckenbergerianaæ: *Sunt alioquin, inqui-*
unt, multiplices in scriptura spiritus, veluti humani, coelestes, & mali
spiritus. Verum enim vero spiritus DEI solus sanctus dicitur, hoc est,
qui nos sanctificauit & abducit sanctificat. Deinde non conuenit in
evangelium praedicatum illud, quod commate X. de hoc spiritu
adhibet apostolus. Adstruit hunc spiritum scrutari omnia. Ut vt
nunc facile concefferim, summos in euangelio contineri sapientiae
divinae thesauros, tamen euangelium reuelare omnia, quae sciri
possunt, scrutarique, prudentem harumque rerum peritum certus
sum adfirmaturum esse neminem. Denique inconditum plane in-
natuumque, si hoc socinianum valere debet commentum, Aposto-
lo tribuendum est dicendi genus. Namque comm. VII. PAVL.
Lus iam confirmauerat, se praedicare evangelium Nunc addit:
DEVM hoc sibi reuelasse, per spiritum suum: Vnde versus deci-
mus hoc modo reddendus esset: *DEVS autem reuelauit nobis evan-*
gelium per euangelium suum. Absit per omnia, vt tam ineptam di-
ctionem sancti scriptoris calamo excidisse credamus.

Neque eo etiam quid obtinent sociniani, quod ad 2. TIMOTH,
I. 10. prouocant, vbi idem noster Apostolus confirmat, CHRI-
STVM illuminasse per euangelium. Nam *primo*, cum hic CHRI-
STVS ab euangelio reuelante potest esse diuersus, cur non etiam
Spiritus Sanctus I COR. II. 10. ab eo posset distingui? Aut si Spi-
ritus ideo debet esse euangelium, quia idem praedicatum de euangelio
hic enuntiatur, quod antea de SPIRITV SANCTO, cur non con-
cludunt sociniani, quia CHRISTO pariter aut aliis in locis DEO
PATRI tribuitur illuminatio, CHRISTVM aut DEVVM PATREM
esse euangelium? Deinde vero, vt rem ipsam adgrediar, soluam-
que, quod nestitur dubium; quae quæsio est contradic̄tio, eundem
effectum & SPIRITVI SANCTO & euangelio ab apostolo adtri-
bui, quum concedendum sit omnino, illum, tanquam caussam prin-
cipalem, hoc vero tanquam organicam eundem effectum, illumina-
tionem

tionem mentis, in apostolis produxisse. Sane, quantum ego intellico, si qui de caussis cuiusdam effectus interrogati fuerint, alterque causam principalem, alter vero medianam allegarit, nullo modo sibi contradicunt respondentes. Constat, ita recte haec refutaturus laudatus OEDERVIS in *stricturis ad Catechesin Racouensem p. 602.* inquit, *vbi unus dixit, a principe se cognosce rem, alter, e Principis verbis, non contradicere sibi hos duos, cum neutri tamen in mentem venerit: Principis verba esse ipsum principem.* Quare nec hoc loco ex eo, quod euangelium idem facit, quod Spiritus Sanctus, modo licet diuerso, concludendum erit, SPIRITVM SANCTVM esse euangelium.

ATQVE sic satis patere arbitror, operam omnem perdere socinianos, dum spiritum illum DEI, ad quem PAVLLVS suam refert illuminationem, in euangelium convertere audaci tentant calamo. Quam vellem, ut homines hi arguienta haec grauissima, quae textus ipse facile iis suggerere posset, sedata ponderarent atque non occupata mente, quo tandem, quam noxios foueant errores, adgnoscentes pestilentissima sua dimitterent dogmata, atque ad SPIRITVS SANCTI cultum, tanquam summi DEI, tertiaeque indiuiduae TRINITATIS personae, resipisciente accederent animo. Verum quum hac in parte vix ab iis quid sperandum sit, quod ad morem incircumcisorum illorum ore & corde, SANCTO SPIRITVI DEI semper resistant; illos iam dimittens ad vos, CIVES HONORATISSIMI, mea se confert oratio. Adcepisti modo, quod SANCTVS SPIRITVS Apostolos ad sacrarum doctrinarum perduxerit cognitionem. Adgnoscatis hanc gratiam; nam & vobis ea non parum confert. Nunc enim certi estis, quod verbis Apostolorum fidere, quod per illa seruari, quod aeternam per illa contingere queatis omnique felicitate repletam beatorum sedem. Adgnoscatis itaque (repeto verbum) hanc gratiam, atque quo homines intelligent, eam a vobis memori custodiri mente piis eius praceptis omnem vestram attemperetis viuendi rationem. Confugite, eo duce, ad meritum CHRISTI, quod seruat solum; eo exornati confirmatique exercete virtutes, deuitate scelera. Sic DEVS erit vobis cum, cui sit laus & gloria semper.

P. P. sub Academiae Sigillo, die V. Iun.
Anno MDCCXL.

EDONI





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1004029675/phys_0012](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004029675/phys_0012)



ce spiritus nomine celebrari; vid. IOANN. VI. 63 V. 6. sanctum tamen Spiritum illud vñquam adpellari idoneo, comprobabitur exemplo. Quin potius constat fallax interpretum est obseruatio, toties in scriptura vñ denotare tertiam DEITATIS personam, quoties adiecit etiam *αγιον*. Praeclare b. Confessores nostri in Catecartic. III. p. 496. editionis Reckenbergerianae: *Sunt autem multiplices in scriptura spiritus, veluti humani, coeli, spiritus.* Verum enim vero spiritus DEI solus sanctus dicitur qui nos sanctificauit & adhuc sanctificat. Deinde non evangelium praedicatum illud, quod commate X. c. adhibet apostolus. Adstruit hunc spiritum scrutari omnino nunc facile concesserim, summos in euangelio continet diuinæ thesauros, tamen euangelium reuelare omnino possunt, scrutarique, prudentem harumque rerum presum adfirmaturum esse neminem. Denique inconditum natuumque, si hoc socinianum valere debet commentatio tribendum est dicendi genus. Namque comm. Lus iam confirmauerat, se praedicare euangelium DEVVM hoc sibi reuelasse, per spiritum suum: Vnde mus hoc modo reddendus esset: *DEVS autem reuelauit euangelium per euangelium suum.* Absit per omnia, vt tam etiam sancti scriptoris calamo excidisse credamus.

Neque eo etiam quid obtinent sociniani, quod ad I. 10. prouocant, vbi idem noster Apostolus confirmat STVM illuminasse per euangelium. Nam primo, cur STVS ab euangelio reuelante potest esse diuersus, cum Spiritus Sanctus in COR. II. 10. ab eo posset distinguiri ideo debet esse euangelium, quia idem praedicatum hic enuntiatur, quod antea de SPIRITU SANCTO, cludunt sociniani, quia CHRISTO pariter aut aliis PATRI tribuitur illuminatio, CHRISTVM aut DEVUM esse euangelium? Deinde vero, vt rem ipsam adgrande, quod nequitur dubium; quae quaeso est contradicendum & SPIRITU SANCTO & euangelio ab aliis, quum concedendum sit omnino, illum, tanquam corporalem, hoc vero tanquam organicam eundem effectum.




Image Engineering Scan Reference Chart TE2/3 Serial No. 0111